



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæstio 1. An omni petenti detur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

cipue videndū, vt ita proponatur, ne ante explodatur, quam intelligatur. Itaq; sensim, & à clarioribus, seu à quibus minus abhorrent, ad interiora progrediendum est. Id quod architecti solent, dum nouas substructiones moliantur, veteres dissolunt; ita Apostolus Paulus Athenis atq; alibi, de vanitate deorum, disputat, vt damnata opinione priore, nouæ fidei parentur. Cuius rei neglectus, propagationem fidei remorari solet.

§. 5. Augustinus libro de adulterinis coniugibus, l. i. de dando baptismo illis, quorum de voluntate ambigitur, his ex verbis decernit. S. Cyprianus margaritas proiciit ante porcos arbitrat, si lapsi, non digne pœnitentibus pax detur, si eam importunitate extorqueant, non humilitate & lacrymis exoratam habeant. Verba Cypriani sunt.

Animaduertimus enim, te congruente censura, & eos digne obiurgasse, qui immemores delictorum suorum pacem à presbyteris per absentiam tua festinata & præcipiti cupiditate extorsissent, & illos qui sine respectu Euangelij Sanctum Domini canibus, & margaritas porcis profana facilitate donassent, cum grande delictum, & per totum pene orbem incredibili vastatione grassatum, non oporteat nisi, vt ipse scribis, caute moderateq; tractari, consultis omnibus Episcopis, presbyteris, diaconibus, confessoribus, & ipsis Stantibus Laicis, vt in tuis literis & ipse testaris, ne dum volumus importune ruinis subuenire, alias maiores ruinas videamur parare.

Quantum ille à nostrorum temporum licentia abhorrerit, res ipsa docet; vt vix magni peccatores admonitionem; nedum reprehensionem & pœnitentiam sustineant.

Porro Augustini definitio in vsu Ecclesiæ hodie pertinet, Sacramenta enim dantur, cum petiisse præsumitur. Verba Augustini ascribere visum est, multis profutura.

CATECHUMENIS ergo in huius vitæ ultimo constitutis si morbo seu casu aliquo sic oppressi sint, vt quamuis adhuc viuant, petere sibi tamen baptismum vel ad interrogata respondere non possint: profit eis quod eorum in fide Christiana voluntas iam nota est, vt eo modo baptizentur quo modo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit. Non tamen propterea damnare debemus, qui timidius agunt, quam nobis videtur agi oportere, ne de pecunia conferro credita improbius quam cautiùs indicare voluisse iudicemur. Satis quippe in talibus respiciendum est illud Apostoli, vbi dicit: Vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. Non ergo amplius in scem iudicemus. Sunt enim quo vel in his vel etiam in aliis obseruandum putant, quod dixisse Dominum legimus, Nolite sanctum dare canibus, neque proteritis margaritas vestras ante porcos. Et ista Saluatoris verba referentes, baptizare non audent eos, qui pro se respondere nequiverint, ne sorte contrarium gerant voluntatis arbitrium. Quod de paruulis dici non potest, in quibus adhuc rationis nullus est vsus. Sed non solum incredibile est, nec in fine vitæ huius baptizari catechumenum velle, verum etiam si voluntas eius incerta est, multo satius est nolenti dare, quam volentem negare: vbi velit, an nolit sic non apparet, & tamen credibilis sit eum si posset, velle se potius fuisse dicturum ea Sacramenta percipere, sine quibus iam credidit non se oportere de corpore exire. Si autem Dominus vbi ait, Nolite dare sanctum canibus, hoc quod isti cauendum putant, vellet intelligi, non ipse suo traditori dedisset, quod in suam ille perniciem, sine culpa dantis, cum dignis indignus accepit. Vnde cum hoc diceret Dominus, credendum est significare voluisse: quod lucem intelligentia spiritalis immunda corda non portant. & si portanda ductor ingesserit, quia non recte accipiunt, quia non capiunt, vel reprehensionis moribus lacerant, vel contemnendo conculant.

VERSVS 7. & 8.

Petite, & dabitur vobis: querite & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui querit, inuenit: & pulsanti aperietur.

QVÆSTIO I.

An omni petenti detur?

§. 1. **N**on solis Apostolis, sed cunctis Christi fidelibus illa facta est promissio. Et hæc est fiducia, quam habemus ad eum; quia quodcumq; petierimus secundum voluntatem eius, audit nos. 1. Ioan. 5. 14. Verum multi multa petendo, nihil obtinent, cuius rei causa est, vel in re quæ petitur, vel in petentibus. D. Thom. 72. q. 85. a. 15. Aug. tra. 7. in Ioan. Si enim bona petamus fluxa, caduca, nocturna, prudentis est, negare. Oidium est dare quod sit accipientibus exitio, charitas id omnino negare. Non est Deus funestus muneris auctor, sed vota imprudentia corrigit, sæpe pœnam promuncere poscimus. Romanus sapiens l. 2. de beneficiis. Rogantibus pestifera largiri, blandum & affabile est odium: beneficium demus, quod vsu magis, ac magis placeat, quod nunquam malis vertatur.

§. 2. Interdum petita negantur, vel quia peccata petentium Dei largitatem auerunt, vel quia a languide, distracte, cum tædio, & fastidio postulantur. Tot nos mala premunt, omnes ad nouas calamitates commouemur, at quorū quisque cum lachrymis orat: oni se dedit? veniam deprecatur? Hanc ob causam serium orandi studium nobis Deus imperat. Petendi enim querendi, pulsandi, verbis, perseverantiam, & feruorem indicat docet, Augustinus lib. 1. de retr. c. 19. Qui autem querit cuncta alia mente proiciens, sedulo in vnum illud intendit, quod requirit. Nam longe melius ad instantissimam petitionem hæc omnia referuntur. Quamuis l. 2. serm. in monte. Petitionem ad sanitatem iudicii, inquisitionem ad veritatis inuestigationem, pulsationem ad perseverantiam referat. Feruorem & perseverantiam Deus præcipue exigit. Cum enim dona sua tardius impetratur, cunctatione eorum præstantiam commendat, sermo ne si celeriter offerantur, cito data vilescant, atque ita amittantur; arctissime tenetur, quod laboriose obtentum est. Sequat interdum munera Deus, vt opportunius det, quæ citius data homo perderet. Melius consilium illi, cui pecunia in tuto posita post intervallum datur, quam illi cui per pericula ferenda representatur.

QVÆSTIO II.

An recte de nouâ fide inquirendum doceant heretici?

§. 1. **Q**ui nouum paraclitum, nouam fidem tēpore Tertulliani inducebant, vetera retractabant. Curiositatem suam Domini verbis defendebat. nouam Quibus optime respondetur: post Christum, post dem Apostolos nihil opus esse noua curiositate, data est doctrina, inuentum est Euangelij margaritarum, apertum est ostium, Christus ipse, ostium euident. Nemo noua querit, nisi vetera qui perdidit, nemo pulsant, nisi qui foris est. Sed Tertullianum l. de præscriptionibus aduersus hereticos audiamus. cap. 7. [Nobis curiositate opus non est post Christum, nec inquisitione post Euangelium. Cū credimus nihil desideramus ultra credere. Hoc enim prius credimus, non esse quod ultra